

*bus promiscue permittendam, cum scri-
ptura in se ita sit comparata, vt tam
obesse legenti, quam prodesse, nisi
sana accedat interpretatio, possit. Ita-
que Episcopis permittendum esse, qui-
bus lectionem concedere velint, vel non, et, si
quibusdam sit concedenda, animos, apposita in-
terpretatione vel versione, ad sensum pontificiae
ecclesiae inflexa, antea praeparandos esse. Argu-
menta potiora sunt:*

*scripturam
ab omni-
bus legen-
dam esse.*

I. *A facili in haereses lapsu.* Testari enim aiunt
experientiam, quod, qui scripturam citra ma-
nuductionem doctoris catholici legerit, in va-
rios inciderit errores.

Resp.

1) *Negando, facilem esse per lectionem scriptu-
rae in haereses lapsum. Scriptura enim est
antidotum contra omnes haereses. Quicquid
ideo inspiratum, scriptumque est, vt homi-
nem DEI erudiat, et perfectum ad omne
bonum opus reddat, id legendo, non est fa-
cilis in errores lapsus.*

2) *Dist. est inter id, quod fit per se et ex indole
scripturae, et ita dicendum, scripturam hae-
reses indole sua potius refutare, quam gene-
rare, et inter id, quod fit per accidens, ex vitio
hominum scripturae lectione abutentium. Si
vero ob hanc causam scriptura legenda non
est, nec traditiones, nec quidlibet aliud legen-
dum erit.*

(Fecht. Comp.)

E

3) Ve-